

Lcc. 18.

V. CL.
IOANNIS PEARSONII,
DVM VIVERET S. T. P.
ET CESTRIENSIS EPISCOPI,

ANNALES
PAVLINI,

QVIBVS ET ACTA APOSTOLO-
RVM, ET PAVLI EPISTOLAE, ALIAQVE
SCRIPTVRAE LOCA, EX TEMPORVM
RATIONE ILLUSTRANTVR.

IN GRATIAM STUDIOSAE IVENTVTIS
SEORSIM RECYSI.

HALAE MAGDEBURG.
Typis CHRISTOPH. ANDRAE ZEITLERI, Acad. typ.
c1o 16cc XIII.

KÖN. PR. FR.
UNIVERS.
ZVHALLE






Auditoribus suis carissimis in Iesu Christo

S. P. D.

IOANNES HENR. MICHAELIS.

 Vm nuper admodum, ex ordine librorum Noui Testamenti, inchoanda ac publice prælegenda vobis essent *Acta Apostolorum*, iamque præmissem, quæ ad ipsum librum præfationis loco dicenda videbantur, commodum deinde incidi in præsens doctissimi *Pearsonii* monumentum, quod *Annales Paulinos* inscripsit. Editum illud est Londini 1688. in 4to cum aliis *Pearsonii postumis operibus*, nimirum quinque lectionibus in priora Actuum Apostolicorum capita, & duabus dissertationibus de serie & successione primorum Romæ episcoporum, a doctissimo H. *Dodwello*: qui non tantum adnotationibus suis dissertationes *Pearsonii* auxit, sed etiam

A 2 sing.

singulari dissertazione easdem confirmavit, & alicubi emendauit. De quibus non est in præsentia, vt plura referam, cum dudum celebratum sit inter eruditos vtriusque viri nomen, & merita Pearsonii exstantiora, quam vt mea commendatione quidquam ad eius laudem accedere possit. Præsens autem Celeb. Viri scriptum præ ceteris etiam commendandum puto omnibus, qui nascentis Ecclesiæ Christi historiam e diuino Lucæ libro distinctius cognoscere, ipsasque Pauli, summi Apostoli, epistolas in multis locis penitus intelligere cupiunt. Cumque magna solertia id a doctissimo auctore concinnatum sit, ideo sine vlla interpolatione illud vobis exhibeo; etsi non ignoro, quam dissideant a se inuicem viri docti, & dissentiant etiam a Viro Cl. circa annos Christi Seruatoris & Imperatorum: sicut ipse etiam Pearsonius indicauit lectione I. in Acta Apostol. p. 29. seq. Statuit vero ibidem p. 30. tanquam veritati maxime consonum, cum Chronico Alexandrino, Christum passum esse *decimo nono anno Tiberii, æræ Christianæ vulgaris trigésimo tertio, periodi Iulianæ 4746. procuratoris officio*
in

in Iudæa fungente Pontio Pilato, Coss. Servio Sulpitio Galba & Lucio Cornelio Syl-
 la. Qui calculus etiam est doctissimi *Bir-
 cherodii* in tabb. Chronologicis, secundum
 quas natus est Saluator noster anno Mun-
 di 4002. penultimo Herodis magni, Au-
 gusti Imperatoris (qui 57. annos, 5. men-
 ses & 4. dies imperavit) 43. duodecim au-
 tem annos natus, anno Augusti 56. in tem-
 plo cum doctoribus disputavit Luc. 2, 42.
 atque trigesimo ætatis anno, Tiberii 15.
 baptizatus, & ministerio suo publico ini-
 tiatus fuit, vt ex Luc. 3, 1. 23. constat: etsi
 hic quoque scrupulos moueant alii, quos
 disquirere nunc nostri non est instituti.
 Ceterum vti alio tempore harmoniæ Ev-
 angelicæ indicem chronologicum sec. an-
 nos ministerii CHRISTI distinximus; ita
 hos Pearsonii annales Paulinos, ipsaque A-
 postolorum, principum inprimis, Petri,
 Ioannis & Pauli Acta, iuuandæ memoriæ
 causa, sec. quatuor Imperatorum tempo-
 ra, sub quibus fundata & aucta Ecclesia
 Christi fuit, in quatuor vel quinque capi-
 ta dispescere licebit. Videlicet

Cap. I. de actis Apostolorum per quin-
 quennium ab anno *Tiberii* 19.

A 3

ad

ad 23. h. e. ab A. C. 33. ad 37. inclus.
ex Act. I, 1. -- c. 9, 17.

Cap. II. de actis Apost. anno *Caii* 1. -- 4. h.
e. ab A. C. 37. & 38. - 40. Act. 9,
18. - - c. 11, 18.

III. de Actis Apost. anno *Claudii* 1. - 14.
ab A. C. 41. -- 54. Act. 11, 19. --
c. 19, 7.

IV. de Actis Pauli anno *Neronis* 1 - - 9.
A. C. 54. 55 - 63. Act. 19, 8. seqq.
ad finem libri.

V. de Actis Pauli anno *Neronis* 9. - 14.
ab A. C. 63 - ad 68. Ex Epistolis
Pauli, Iosepho, aliisque.

Plura hic non addimus. Faxit modo DEVS
T. O. M. & Dominus noster IESVS CHRI-
STVS, per SPIRITVS sui gratiam & virtu-
tem, vt, quo longius eheu a prima illa fince-
ritate & virtute fidei hodie abest Christia-
nus orbis, eo attentius nos ex actis illis &
scriptis Apostolorum discamus, quid emen-
dandum in vita nobis sit, quidue serio imi-
tandum: atque hoc modo non solum tem-
pora & seriem rerum sacrarum distinctius
cognoscamus, sed etiam de virtute in vir-
tutem proficiamus, & sanctissimum Dei ac
SERVATORIS nomen in omnibus sanctifice-
mus. Valete. Dab. Halæ prid. Cal. April.
clō 1800 XIII.

ANNALES PAVLINI.

HOc anno Domini labente, *Tiberii* 21, Hierosolymis grauis orta est persecutio per summum Sacerdotem & synedrium; in quo primo *S. Stephanus* lapidatus est, VII. Diaconorum primus, & cum effunderetur sanguis eius, *Saulus*, adhuc iuuenis, adstabat & consentiebat, Act. XXII, 20. *Philippus* autem, VII. Diaconorum secundus, abiit in Samariam, & communes mensæ discipulorum disturbatæ sunt: & haud pauci ex discipulis ab Hierosolymis & ex Iudæa abierunt.

Anni
Aera: *Tiberii*
Vulg. ab *Aug*
xxxiv. d. 19.
20.
21.

Priori anno exeunte & hoc A. D. in-
eunte, persecutio ingrauescit; & *Sau-
lus*, a Synedrio potestate concessa, *su-
pra modum persequebatur Ecclesiam*, & ex-
pugnabat illam, fideles frequenter per
synagogas cædens, sanctorum pluri-
mos vinciens, & in carcerem trudens,
& cum interficerentur, deferens sen-
tentiam; vnde se merito agnoscit tunc
fuisse *βλάβος Φημον ἢ διώκτην, καὶ ὑβρι-
στὴν.* I Tim. I, 13. Cum iam fideles om-
nes, præter Apostolos, Hierosoly-
mis relictis, dispersi essent, & per varias
vrbes & prouincias verbum Dei præ-
dicassent; *Saulus amplius insaniens in eos
persequebatur vsque in exteras ciuitates* Act.

xxxv. 21.

22.

Tiberii. Aer.

22. Vulg. XXVI, 11. & adhuc spirans minarum &
 xxxv. cedis in discipulos, a principe sacerdotum
 petiit epistolas in Damascum ad synagogas,
 ut, si quos inuenisset huius vie viros ac mu-
 lieres, vinctos perduceret in Ierusalem. Act.
 IX, 12. & habens potestatem alligandi om-
 nes, qui inuocabant nomen Christi, Act.
 IX, 14.

Cum autem appropinquaret Dama-
 sco, Iesus ipse ei adparuit, eumque ad
 fidem miraculose conuertit: & Dama-
 scum petens ab Anania baptizatus est,
 a discipulo discipulus. Statim autem
 non acquieuit carni & sanguini; non ab
 Anania aut alio aliquo discipulo Dama-
 sceno verbum Dei didicit; neque venit
 Hierosolyma ad antecessores suos Apostolos,
 sed abiit in Arabiam Galat. I, 16. 17. vbi
 nemo verbum Dei prædicauerat.

- xxxvi. Saulus in Arabia moratur, vbi per
 reuelationem accepit plenam a Deo no-
 titiam Euangelii, ad quod prædicandum
 immediate vocatus est. Gal. I, 1.

23. Interea Herodis Tetrarchæ exerci-
 tus ab Areta, Arabiæ rege (ὁ πετραῖ
 βασιλεὺς, Ioseph. Lib. 18. cap. 7.) pro-
 fligatus, internecone funditus perit. A-
 retæ Ethnarcha Damascum præsidio te-
 net.

- xxxvii. Saulus ex Arabia redit Damascum,
 satis

fatis in officio per reuelationem instru-
ctus; & fuit cum discipulis per dies aliquot,
& continuo ingressus in synagogis predica-
bat Iesum, Act. IX, 19. 20. Stupebant in-
terim omnes, qui eum audiebant: ipse au-
tem multo magis conualefcebat, & confun-
debat Iudeos.

Circa finem autem huius anni, cum
implerentur dies multi, consilium fecerunt
in vnum Iudæi, vt eum interficerent, Act.
IX, 23. Non enim tunc eam auctori-
tatem habebant in Damasco, quam ha-
bebant, cum Saulus primo venit Dama-
scum.

Quare insidias ei tantummodo ster-
nebant, quæ Saulo notæ fuere; vnde
coacti sunt ab Ethnarcha Arabiæ pe-
tere, vt eum in eorum gratiam inter-
ficeret: qui inde cupiebat eum compre-
hendere, 2 Cor. XI, 32.

Iudæi igitur obseruant portas ciuita-
tis, vt Ethnarchæ Saulam interficien-
dum tradant; Discipuli autem accipientes
eum nocte, per murum demiserunt, submit-
tentes in sporta. Act. IX, 25.

Saulus itaque Damasco elapsus, post
tres annos venit Hierosolyma, vt viseret Pe-
trum (qui iam ante illuc redierat cum
Ioanne, postquam fideles a Philippo ba-
ptizatos confirmauerant, & in reditu
mul-

XXXVIII

multis Samaritanorum pagis prædica-
verant) Gal. I, 18. Quod tempus nul-
lam aliam epocham habere potuit,
quam a conuersione Sauli, vt patet ex
scopo Apostoli per totam eam Episto-
lam ad Galatas, & ex ipso contextu a
v. II. vsque ad 18.

Saulus vero cum venisset Ierusalem,
circa finem anni, tentabat se iungere di-
scipulis, & omnes timebant eum, non cre-
dentes, quod esset discipulus Act. IX, 26.
donec Barnabas eum duxit ad Apostolos
(Petrum scil. & Iacobum) Act. IX, 27.
& permansit apud Petrum dies XV, Gal.
I, 18. Cumque iam Saulus fiducialiter
agens loqueretur & disputaret cum Hel-
lenistis, illi querebant occidere eum: quod
cum cognouissent fratres, deduxerunt eum
Cæsaream, & dimiserunt Tarsum. Act.
IX, 31. 32.

Erat tum in Ecclesiis pax per totam
Iudæam, Galilæam & Samariam, & S.
Petrus transiuit vniuersos, Act. IX, 31.
32, in Iudæa scil. Galilæa, & Samaria,
fideles.

XXXIX.

Hoc anno Saulus Tarsum delatus, i-
gnotus facie Ecclesiis Iudæe, euangelizauit
fidem in Cilicia, quam aliquando expugna-
bat Gal. I, 22. 23. Ignotum autem tunc,
cum in Cilicia & Syria esset, Ecclesiis
Iudææ

2.
5.

Iudææ se fuisse dixit, ne Galatæ putarent, ipsum ab aliquo Christi discipulo doctrinam Euangelii accepisse.

Saulus prædicat in Syria, neque tamen adiit Antiochiam, quia illic discipuli non pauci fuere, a quibus quidquam discere noluit. XL.

Petrus postquam baptizauerat Cornelium, & permanerat ibi diebus aliquot, adscendit Hierosolyma: & cum illuc venisset, *disceptabant aduersus eum qui erant ex circumcisione.* Act. XI, 2. Cum autem omnia de baptismo Cornelii exposuisset, *tacuerunt & glorificauerunt Deum,* v. 18.

Saulus adhuc prædicat in Syria. XLI.

Patefacto iam gentibus fidei ostio, Cyprii & Cyrenenses quidam *Antiochia* Græcis Christum prædicauerunt, & magnus eorum numerus conuersus est ad Dominum.

Claudi
I.
a Ianuar.
d. 24.

Peruenit etiam sermo ad aures Ecclesie, quæ erat Hierosolymis, super magno numero Græcorum, qui ope Cypriorum & Cyrenæorum quorundam conuersi sunt ad Dominum. Act. XI, 21. 22.

Miserunt ergo Barnabam vsque ad Antiochiam.

Saulus redit Tarsum, postquam multa passus erat in Syria & Cilicia per triennium. XLII.

Bar.

2. vulg.

XLII. Barnabas, cum venisset Antiochiam, & vidisset gratiam Dei, gauisus est, & hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino, & eius opera apposita est multa turba Domino, Act. XI, 24.

Cum tanta mensis quotidie cresceret, & Barnabas cooperario indigeret, quaesivit Paulum Tarsi (quem ad Apostolos ante duxerat, & ab iis probatum nouerat, & disputantem cum Hellenistis Hierosolymis audiuerat;) quem cum inuenisset, perduxit Antiochiam v. 25.

3. XLIII. Saulus & Barnabas annum totum conuersati sunt in Ecclesia Antiochena, & docuerunt turbam multam; ita ut cognominarentur primum Antiochie discipuli CHRISTIANI, v. 26.

In his autem diebus superuenerunt ab Hierosolymis Prophetae Antiochiam, v. 27. & surgens vnus ex eis, nomine Agabus, significabat per spiritum (prophetix, nondum enim vlla fames in partibus Orientis orta erat) famem magnam futuram in uniuerso orbe terrarum, qua facta est, praecipue in Iudæa, sub Claudio Cesare. v. 28.

Discipuli autem, prout quis habebat, proposuerunt in ministerium mittere habitantibus in Iudæa fratribus. v. 29.

4. XLIV. Cum adhuc pax fuisset in Ecclesia per Iudæam, misit Herodes Agrippa manus,

nus, vt affligeret quosdam de Ecclesia, Act. XII, 1. Occidit autem Iacobum v. 2. & diebus azymorum Petrum coniecit in carcerem (circa initium Aprilis). Petrus autem, carcere diuinitus patefacto, petiit domum Mariæ, vbi plures discipuli congregati sunt; quibus cum declarasset, quomodo ab Angelo liberatus esset, & eos iussisset, vt eadem Iacobo & fratribus renunciarent, abiit, &c.

De anno, quo Herodes occidit Iacobum, & Petrum in carcerem coniecit, latius differendum est; Volunt enim ex Pontificiis plerique id factum esse Anno Domini XLI. Et illo tempore ostendunt Petrum, cum abiit in alium locum, Romam petiisse &c. sed hoc primo statuitur contra fidem Historie Iudaicæ Ioseph. XIX. 4. 5. secundo contra fidem historie sacre, abiit in alium locum, v. 17. & Herodes descendens e Iudæa in Casaream, ibi commoratus est. v. 19.

Post breuem hanc persecutionem Hierosolymis ortam, Antiocheni secundum propositum suum (Act. XI, 29.) collectis iam factis, subsidium miserunt ad Seniores, qui Hierosolymis manserant, per manus Barnabæ & Sauli. v. 30. & quidem peropportune: iam enim fames in Iudæa oriri coepit, magna quidem illa & diuturna.

Nam Herode Agrippa mortuo, in eius regnum, in prouinciam redactum, Claudius procuratorem Cuspium Fadum misit. Ille autem, & successor eius, Tiberius Alexander, prouinciam administrabant

Claudii Aeræ bant ferme per quadriennium; quorum tempore
 4. vulg. magnam famem in Iudæa extitisse, narrat Ioseph.
 XLIV. Lib. XX. cap. III. quam respexitse Agabum, testa-
 tur Eusebius lib. II. cap. XI.

Cum Barnabas & Saulus subsidium
 in manus *Seniorum* Hierosolymis tradi-
 didissent, nullo Apostolo tunc viso (quæ
 causa fuit, quod Apostolus ipse huius
 aduentus non meminit in Epistola ad
 Galatas) Antiochiam redierunt, *adsum-*
to Ioanne, qui cognominatus est Marcus Act.
 XII, 25. qui eos secutus esse videtur, quia
 aberat Petrus.

Dum ibi prophetæ & doctores mini-
 strarent Domino, Saulus & Barnabas se-
 gregati ab illis sunt *in opus, ad quod ad-*
sumsit eos Spiritus S. Act. XIII, 2.

Et tum, opinor, Saulus raptus est in
 tertium coelum: post quod tempus an-
 no XIV. scripsit 2. ad Corinthios Episto-
 lam, cap. XII, 2.

Barnabas & Saulus missi a Spiritu S.
 obierunt Seleuciam, & nauigauerunt in
 Cyprum Act. XIII, 4. & peruenerunt
 Salamina.

5. XLV. Cum Saulus & Barnabas *uenissent Sa-*
laminam, predicabant verbum Dei in Syn-
agogis Iudeorum, habentes Ioannem in
ministerio. v. 5. & cum *perambulassent vni-*
uersam insulam (prædicantes sine dubio
 in synagogis Iudæorum, quæ in Cypro
 pluri-

plurimæ fuerunt) *vsque ad Paphum.* (Est ^{XLV.} autem Cyprus insula inter amplissimas numerata.) Et dum in vrbe Papho prædicabant, quæ a Salamine, tota ferme insulæ longitudine erat disita, *Sergius Paulus* Cypri Procos. verbum Dei audire cupiebat, eosque accersit: & cum obstaret *Elymus, Saulus* (qui & *Paulus*) eum cæcitate percussit, vnde Procos. ad fidem conuersus est.

Postea Paulus cum suis nauigauit Papho, & Pergam, urbem Pamphylia, venit; vbi eum deserit *Ioannes*, & reuertitur Hierosolyma; forte enim audiuerat, iam non tantum Herodem mortuum fuisse, sed Petrum etiam e latebris prodiisse, & Hierosolyms libere versatum esse. Paulus autem & Barnabas ex Pamphylia profecti sunt in Pisidiam.

In Pisidia diu prædicant (præsertim ^{XLVI.} Antiochiæ) donec verbum Dei disseminaretur per vniuersam regionem. Act. XIII, 49. 6.

Pisidia pulsi veniunt in Lycaoniam; vbi adeunt Iconium, in qua vrbe multo tempore morati sunt, XIV, 3.

Iconio pulsi confugerunt ad ciuitates Lystram & Derben, & vniuersam in circuitu regionem. XIV, 6. & illic euangelizantes erant. V. 7.

Lystris

6. vulg.

XLVI.

Lystris per Antiochenos & Iconienses eiccti adeunt Derben, vbi euangelizabant, & discipulos inultos faciebant, v. 21.

7. XLVII.

Derbe reuertuntur Lystram & Iconium, & Antiochiam Pisidiæ, *confirmantes animos discipulorum, exhortantesque, vt permanerent in fide. Et constituerunt illis per singulas ecclesias presbyteros.* XIV, 22. 23.

Inde pertranseunt Pisidiam, & veniunt in Pamphyliam.

Postquam Pergæ rursus prædicassent, petunt Attaliam, & inde nauigantes redeunt Antiochiam Syriæ, vbi itineris sui rationem Ecclesiæ reddunt.

8. XLVIII.

Paulus & Barnabas Antiochiæ non modicum tempus morati sunt cum discipulis. v. 28.

Tum vero descendentes de Iudæa quidam docebant fratres, *quia nisi circumcidamini secundum morem Moysis, non potestis saluari,* Act. XV, 1.

Hinc orta est *seditio & questio* siue disceptatio *non parua* siue bene longa, inter Paulum, assistente Barnaba, & illos Iudaizantes.

Antiocheni autem quæstionem hanc determinare non valentes, *stauerunt, vt adscenderent Paulus & Barnabas, & quidam*

dam alii ex illis, ad Apostolos & presbyteros in Ierusalem, super hac questione,

V. 2.

Hoc anno ineunte venit in Prouinciam *Cumana* Iudaeae procurator; & *Felix* Samariae, si fides *Tacito*; sed sine iure gladii, vt patet ex *Historia Iosephi*.

Paulus & Barnabas deducti ab Ecclesia Antiochena per Syriam, pertransibant Phoenicem & Samariam; & per ecclesias, ibi constitutas, enarrabant conuersionem gentium, ipsorum opera in minore Asia factam. Et Christiani earum Ecclesiarum, quae in Phoenicia & per Samariam constitutae sunt, magno gaudio adfecti sunt.

XLIX.

9.

Tandem veniunt Hierosolyma, vbi *suscepti sunt ab Ecclesia, & ab Apostolis & Senioribus; nuntiantes Apostolis & Senioribus, quanta Deus fecisset per illos, siue quam magnus numerus ipsorum opera, tum ex Iudaeis, tum ex gentibus in Cypro & in Asia, conuersus esset.*

Surrexerunt autem etiam Hierosolymis quidam ex Pharisaeis Christiani, qui docebant circumcisionem esse necessariam ad salutem.

Concilium Hierosolymitanum

Anno XIV. a conuersione S. Pauli congregatum. Hunc enim ipsum ad-

B

uentum

ventum suum narrat Apostolus ad Gal. II, 1. 2. & tempus ipsum determinate exprimit.

Vbi Grotius scribendum vult 4. istamen agnoscit hunc eius aduentum ad Conciliam. Quod autem Apostolus ad epocham *conversionis* suae referat annos, quos ibi numerat, manifestum est ex ipso scopo Capitis I, & II. Vocat se *Apostolum non ab hominibus, neque per hominem*, Cap. I, 1. Docet Euangelium suum non esse secundum hominem, neque se illud ab homine accepisse aut didicisse, sed per reuelationem Iesu Christi v. n. 12. Hoc vero Galatis demonstrat ex conuersatione sua illis non incognita; cuius pars prima fuit professio strictissima Iudaicae religionis secundum Phariseos, quae desit in acerrima persecutione Christianorum: tum demum pergit & ostendit, quomodo Deus reuelauit ei Filium suum, & quod tum *continuo non acquieuit carni & sanguini*, siue non contulit cum homine quopiam, a quo Euangelii doctrinam discere potuit, neque venit Hierosolymam ad antecessores suos Apostolos, a quibus plenius mentem Domini discere potuit, *sed abiit in Arabiam*, vbi per reuelationem Euangelium accepit; & reuersus est Damascum, vbi verbum Dei praedicauit, & confudit Iudaeos. Deinde *post tres annos rediit* (Damasco scilicet) *Hierosolyma, ut videret Petrum*. Ex quibus omnibus clare patet, huius triennii epocham a conuersione Pauli peti debere. Idem dicendum est de Epocham *annorum XIV*. Deinde *post annos XIV, rursus adscendi Hierosolyma*. Idem enim horum verborum scopus, eadem annorum epocha. Vox enim *eterra* (deinde) non coniungit haec verba cum illis de triennio, quasi a fine illius triennii initium sumerent; aliud enim *eterra* inter haec & illa

intercedit Cap. I, 21. vbi narrare incipit, quomodo versatus est in Syria & Cilicia, neque annos, quibus illic tunc erat in iis regionibus, enumerat. Nulla igitur hic chronologica connexio cogitari potest; sed Apostolus eundem scopum persequens, *deinde*, inquit, & *rursus*. Sed neq. *deinde* respicit moram eius in Syria & Cilicia, neq. hoc *rursus* secundum eius Hierosolyma aduentum: nam secundo Hierosolyma venerat cum subsidio, appetente fame, & quidem cum Barnaba, sed non adsumto Tito. Sed quia neminem tunc Apostolorum vidit, & aduentum illum omisit; utpote ad presentem scopum minime pertinentem.

Post decretum Concilii, & epistolam a Concilio scriptam, Paulus & Barnabas cum Iuda & Sila, viris primariis veniunt Antiochiam, & Ecclesiae Antiochenae reddiderunt epistolam ab Apostolis acceptam.

Iudas etiam & Silas cum essent prophetæ, verbo plurimo confirmabant fratres.

Iudas autem rediit Hierosolyma, Silas permansit Antiochiæ.

Interim venit etiam Petrus Antiochiam, & aliquamdiu cum gentibus ad fidem conuersis edebat.

Cum autem quidam a Iacobo venissent, Petrus subtrahebat & segregabat se; vnde Paulus eum reprehendit.

Hoc tempore reprehensionem illam factam esse, inde intelligo, quia Paulus indicat, se fuisse Antiochiæ tunc, cum Petrus illuc venit: Petrus

10. vulg.

L. autem non adit Antiochiam vilo tempore, quo in ea vrbe Paulus fuit ante Concilium Hierosolymitanum: & praeterea dissensus inter Paulum & Barnabam, qui Petro familiarissimus erat, hinc ortum traxisse videtur.

Et ipse, assumpto Sila, qui interfuit Concilio Hierosolymitano, perambulavit Syriam & Ciliciam, confirmans fratres, & tradens iis dogmata, quae erant decreta ab Apostolis. XV, 41, XVI, 4.

Peruenit autem in Derben & Lystram, vbi Timotheum discipulum inueniens, circumcidit, & secum abduxit. XVI, 1.

11.

LI.

Dein peragrat Phrygiam & Galatiam, & per Mysiam venit Troadem, vbi se illi comitem adiunxisse indicat Lucas, XVI, 10. qui antea etiam Antiochiae cum Paulo fuit, & iam eum Troade afsecutus est; vt colligere licet ex Actor. XI, 28. Vbi Codex Cantabr. habet *συνεστραμμένων δὲ ἡμῶν*. Ab anno igitur XLIII, per octennium discipulus fuerat Antiochiae.

Troade transit in Macedoniam.

Moratur Philippis.

Inde itinere facto per Amphipolin & Apolloniam, venit Thessalonicam, vbi diu praedicat.

Inde

Inde missus est Beroeam, ubi aliquam-
diu moratur.

Interim *Iudaei* hoc anno ineunte a
Claudio Roma pulsi sunt.

Anni huius expulsionis solus Orosius diserte meminit Lib. VII. cap. 4. his verbis: *Anno eiusdem Claudii nono expulsos per Claudium Urbe Iudaeos Iosephus refert.* Sed haec aperte falsa sunt: nihil enim Iosephus de anno nono Claudii, immo nihil omnino de expulsionem Iudaeorum circa hunc temporis tractum refert; neque vllius Iudaeorum tumultus ad eum annum meminit Tacitus. Sed Iosephum nominat Orosius, ut coniungat hanc historiam cum tumultu, quem refert Eusebius ex Iosepho.

Præterea Orosius prochronismi manifeste reus hic tenetur, eiusque prochronismi causa satis aperta est. Dixerat enim *anno Claudii quinto inter Theram & Therasiam insula emicuit*: quæ habuit ex Eusebii chronico. At constat hoc contigisse anno Claudii VI. iam exeunte.

Pergit Orosius --- *Anno eius VII. sub Procuratore Iudææ Cumano Hierosolymis seditio in diebus azymorum exorta est.* Quæ etiam ex Eusebii Chronico habuit; sed & ea vera non sunt. Non enim VII. Claudii anno Cumanus, sub quo ait seditionem illam exitisse, sed Tiberius Alexander Procurator Iudææ fuit; neque Cumanus Procurator fuit ante mortem Herodis, regis Chalcidis, qui anno Claudii VIII. obiit. Interesse igitur Paschati Cumanus tanquam Procurator non potuit ante annum Claudii IX. Sed nec eo anno seditio a Iosepho memorata contigit, sed anno Claudii XI, quo tempore *Quadratum* scimus Syriæ fuisse Præfidem; & cum Romæ cognita est, nulla illius Romanos cura tangebatur, cum ad solos Iudæos calamitas

LII. tas illa pertinebat: sed quae illa paulo post sequuta sunt, Romanos maxime tangebant. Nam eodem anno Stephanum, Caesaris seruum, latrones aggressi, omnes eius sarcinas diripuerunt, & tandem milites Romani caesi sunt. Haec commemorat non tantum Iosephus, sed & Tacitus, Lib. XII. c. 54. *Cumanus & Felix, gliscente pernicie, cum arma militum interiecissent, caesi milites sunt; arsissetque bello prouincia, ni Quadratus, Syriae rector, subuenisset.* Et praeterea notat Tacitus, hunc tumultum post illum sub Caio proximum fuisse, ideoque sub Claudio primum.

Claudius, *causis rebellionis auditis*, ineunte anno regni sui XII. Iudaeos vrbe expulit; eodem, opinor, tempore, quo *de Mathematicis Italia pellendis factum Senatus consultum, atrox & irritum*, vt ait Tacitus lib. XII. c. 52.

Expulsio autem Iudaeorum ex Vrbe non fuit ex Senatus-Consulto, sed tantum ex edicto Claudii; vnde Tacitus illius expulsionis nusquam meminit.

S. Paulus Beroea missus est Athenas, vnde statim mittit Timotheum, vt visit Thessalonicenses, I Theff. III, I. vbi diu moratur. Athenis venit Corinthum: & inueniens quendam Iudaeum, nomine Aquilam, Ponticum genere, qui *NUPER* venerat ab Italia, & Priscillam uxorem eius, eo quod praecipisset Claudius, discedere omnes Iudaeos a Roma, accessit ad eos, Act. XVIII, I. 2. *Nuper sane, προφάρως*, quia hoc ipso anno ineunte Edictum Claudii prodierat.

Post

Post reditum Timothei ex Macedonia scribit priorem ad Th. *ssalonicenses Epistolam*, 1 Theff. III, 1 & 6.

LII.

Hoc tempore, ut videtur, Paulus multa de Christianis Romanis audierat, & ex eo valde concupiuit Romam videre, Deum saepe precatus, ut aliquando illic mitteretur, Ep. ad Rom. I, 9. 13. & cap. XV, 22. 23.

Cum *Cumanus* iam condemnatus esset, *Felix* a Claudio *Procurator Iudææ* rursus factus est; quam cum iure gladii prouinciam, vna cum Samaria & Galilæa administraret.

LIII. 13.

S. Paulus Corinthi coram *Gallione Achaia* Proconsule sistitur.

Erat hic Gallio frater senior *Annaei Senecæ*; unde colligi potest, hoc tempus idoneum fuisse, quo *Procos.* fieret. Tota *Senecarum* familia Claudio maxime infensi fuit, quod *Annaeum* graui & diuturno exilio multasset: a quo tandem liberatus est anno *Claudii IX.* *Pompeio* & *Vertranio Coss.* ut tradit *Tacitus* lib. XII. c. 8. & statim factus est Senator, *Sueton.* in *Nerone* cap. 7. eique *Domitius* ab *Agrippina* traditur instituendus. Anno *Claudii X.* *Domitius* in familiam *Claudii* & nomen *Neronis* transit, *Antistio* & *Sulio Coss.* *Tacitus* l. XII. cap. 26. *Annaeus* cum semper obseruasset *Gallionem* honorum maxime cupidum esse, curauit, ut ille *Cos.* suffectus esset anno, ut videtur, XI, & statim *Proconsul* fieret anno *Claudii XII.* exeunte, *Iunio* & *Haterio Coss.* & quidem *Achaia*. Sic enim interpretor *Senecam*, Ep.

104. *Istud mihi in ore erat Domini mei Gallionis, qui cum in Achaia febrem habere cœpisset, protenus nauem adscendit, clamitans, non corporis esse, sed loci morbum. Fratrem enim maiorem, postquam Consul & Proconsul fuisset, dominum adpellauit.*

S. Paulus a Gallione dimissus, permansit Corinthi dies multos; vbi scribit II. ad Thessalonic. Epistolam, imperante adhuc Claudio: quod obseruandum, ne concludamus, -- qui nunc tenet, fuisse Neronem 2. Thess. II, 7. vt Hieron. ad Algasiam, p. 1267. E.

LIV. 14.

Initio huius anni, postquam Corinthi per annum & dimidium prædicasset, nauigat Ephesum, & relictis in ea vrbe Aquila & Priscilla, post paucos dies inde profectus est Cæsaream, vnde adscendit & salutauit Ecclesiam, & descendit Antiochiam Act. XVIII, 22.

Quo temporis tractu venit Apollos Ephesum, & a Priscilla & Aquila melius edoctus, inde profectus est Corinthum.

Paulus autem Antiochia transit per Galatiam & Phrygiam, & cum Apollos esset Corinthi, venit Ephesum, Act. XIX, 1.

Vbi discipulos quosdam baptizauit.

Inde prædicauit in Synagoga per tres menses.

Clau-

Claudio imperatori, defuncto III. id. Aerae Neronis
vulg. I.
 Octobr. Nero succedit. LV.

Primo Neronis anno, *Claudius Felix* a Nerone donatus est praefectura, quam sub Claudio obtinuerat, demtis aliquot tantum urbibus, Abila & Iuliade, Tarichæa & Tiberiade, quas regno Agrippæ addidit Nero: *εἰς δὲ λοιπὴν Ἰουδαίαν φύλιμα κατέστησεν ἐπίτροπον.* Ioseph. de bello Iud. libr. 2. cap. 22. Et Felix, qui tempus praefecturae suae sub Claudio in obtinenda vxore *Drusilla*, feminarum pulcherrima, contumferat, administrandæ Prouinciae iam diligenter incumbit: ac primo principem latronum *Eleazarum*, qui per XX. annos Prouinciam vexauerat (ab illo, opinor, tempore, quo Samaritanos, in apertum bellum prorumpentes, Pilatus profligauit, & multis occisis reliquos in fugam vertit, anno Domini XXXV.) captum in vinculis Romam misit, & magnam latronum multitudinem cruci suffixit, atque ita totam regionem pacauit. Hoc primum *κατόρθωμα* sub Nerone, vt diserte tradit Iosephus, Lib. XX. cap. 6. 7.

Paulus differit in schola Tyranni per biennium. 2.

S. Petrus venit Corinthum, cum ibi esset Apollos, vt patet ex *Epistola Clementis*.

Ex eo tempore, quo pacata regio est, *sicarii* in Vrbe orti sunt, contra quos Felix nihil fecit. LVI.

Sed Jonathanem, (qui vnus *ἐκ τῶν ἀρχιερέων* fuit) nimis libere eum reprehendentem a sicariis occidi curauit. Et post eum multi a sicariis illis Hierosolymis, occisi sunt, festis praecipue diebus.

Paulus

Neronis Aerae

3. vulg.

LVII.

Paulus disserit in schola Tyranni.

Seductores quidam fanatici populum sub prætextu religionis *in desertum* congregabant, promittentes, Deum eis ostensurum signa libertatis. Hos Felix (quos tamquam semina defectionis esse putabat) armis oppressit.

Paulus substitit in Asia.

Vnde præmisit *Timotheum* cum *Erasto* in Macedoniam.

Apollos cum aliis fratribus Corintho venit ad Paulum, per quos Corinthii miserunt Epistolam.

Scribit 1. *ad Corinthios Epistolam*, cum *Sosthene*, respondens epistolæ Corinthiorum.

Scribit *Epistolam ad Galatas*.Per *Demetrium* Epheso pellitur.

Asiam relinquens, postquam per triennium ferme totum ibi laborasset,

Venit Troadem. Inde transit in Macedoniam.

Inde scribit *secundam ad Corinthios epistolam*.

Ex Macedonia proficiscitur in Græciam.

Paulus Corintho scribit *Epistolam ad Romanos*.

4. LVIII. Felix *Aegyptium Magum* cum suis ad montem *Oliueti* profligauit.

Paulus

Paulus redit ex Græcia in Macedoniam.

Per dies azymorum manet Philippis.

Venit Hierosolyma cum Collectis post Pentecosten, mense Iunio: vbi tumultu concitato, morte eum eripiens, Tribunus quærit --- *Nonne tu es Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitasti, & eduxisti in desertum 4000. virorum sicariorum?*

Aegyptius enim ille, fociis oppresfis salutem sibi fuga quæsierat. Ioseph. XX, 6. *Ὁ δὲ Αἰγύπτιος αὐτὸς διαδράσας ἐν τῆς μάχης ἀφανῆς ἐγένετο.*

Ad Synædrium adductus cum *Anania* (Nebedæi filio) qui adhuc fuit Pontifex, orationem habuit Act. XXIII.

Coram Felice Cæsareæ accusatur: Respondens autem ait --- *Ex multis annis te esse Iudicem genti huic sciens, bono animo pro me satisfaciam.* XXIV, 10. Hi autem anni multi erant V. cum dimidio, ex quo Iudaicæ genti iudex impositus est a Claudio: vnde longam sub eo pacem & *πολλὰ κατορθώματα* illi genti facta agnoscit *Tertullus*, quæ sigillatim commemorauimus ex Iosepho.

S. Paulus in vinculis Cæsareæ detinetur.

Coram *Drusilla* iterum auditur.

Magi

4. Vulg.

LVIII.

Magi quidam & latrones Iudæos ad libertatem hortantur, mortem illis minitantes, qui parerent Romano Imperio: & hoc bellum indies ingrauescebat; Ioseph. Bell. Iud. l. 2. cap. 22.

5. LIX.

Paulus detinetur Cæsareæ in libera custodia, Felice sperante, quod pecunia daretur a Paulo: *propter quod & frequenter accersens eum loquebatur cum eo.*

Dum Magi & seductores populum per regionem contra Romanorum imperium sollicitant, inter Syros & Iudæos grauis orta est seditio Cæsareæ, quam armis comprimere conatus est Felix, multi que a militibus cæsi sunt, sed interuentu nobiliorum Iudæorum milites continuit. *Iosephus.*

6. LX.

Felix, manente adhuc seditione inter Syros & Iudæos, nobiles vtriusque partis electos misit ad Neronem de iure disceptaturos, *Ioseph. de bell. Iud. l. 2. c. 22.*

Quin etiam sacerdotes quosdam ob leuem quandam culpam vinctos Romam misit. *Ios. in Vit.*

Tum vero *Festus successor Felicæ* datus est. *Ioseph.*

Felix autem *biennia expleto* (ex quo Paulus accusatus est) *accepit successorem Porcium Festum; volens autem gratiam prestare Iudæis, reliquit Paulum vinctum. Act. XXIV, 27.*

Primores Iudæorum post decessum Felicis Romam profecti sunt eum accusaturi; dedissetque omnino poenas, nisi Nero eum donasset precibus *Pallan-*

is,

is, quem tum maxime in pretio habuit
Ioseph. L. 20. c. 7.

Hinc colligunt viri docti, non diu ab initio imperii Neronis Felicem Romae accusatum, precibus Pallantis donatum, quia Pallas Neroni in pretio non erat diu post imperium eius: vel secundo igitur, vel tertio, vel quarto imperii eius anno Felitem Felicem successisse volunt. Mihi vero id, quod huic sententiae contrarium est, vel inde colligendum videtur; nempe Neronem non, nisi diu post initium imperii sui Pallantem in pretio habuisse. Nam ipso statim initio imperii Neronis tedium sui mouerat Pallas. Tacit. XIII. 2. Secundo imperii anno ineunte, a cura rerum demotus est, cap. 14. Tertio ineunte laesae maiestatis reus fit, & cum absolutus esset, innocentia eius grata non erat, cap. 23. Quarto imperii anno Poppeae amore capitur, Agrippina contemnitur, tamquam ad libita Pallantis prouoluta. Quinto, Agrippina ipsa occiditur, & sic odii Pallantis apud Neronem, postquam potentia exutus est, unica causa sublata est. Post Agrippinae cadem nulla Pallantis apud Neronem offensio memoratur. Nono tandem imperii anno veneno tollitur, nullius criminis reus, nullius nouae apud Neronem offensio- nis (non enim ille, sed Doryphorus nuptiis Pop- pae aduersatus est,) sed ex arbitrio Tigellini, ac tantummodo, quod immensam pecuniam longa senecta detineret. Tacit. XIV. 65. Qualis fuit paulo ante accusatio Senecae, tanquam ingentes & priuatum modum euectas opes adhuc augetet. Tacit. XIV. 52. Quidni igitur VI. Neronis anno iam exeunte, tanta Pallas apud eum gratia floreret, ut fratrem suum, quem Nero ipse Procuratorem fecerat, a paucis Iudaeis accusatum liberaret?

Cum Festus venit in prouinciam,
Caesa.

6. vulg.

LX.

Cæsarea tertio die Hierosolyma attingit; ubi Iudæi Paulum accusant. Festus se eos auditurum promittit, postquam Cæsaream regressus est post dies X. Die XI. a Festo auditus Cæsarem adpellat. Et cum dies aliquot transissent, venit Agrippa Cæsaream Act. XXV. & cum plures dies ibi commoraretur, Paulus coram Agrippa producitur: & dimissus tunc fuisset, si non adpellasset Cæsarem. Act. XXVI, 32.

7.

S. Paulus postea missus est Romam, & post dies multos eiectus est in Melitam Insulam.

LXI.

S. Paulus postquam per tres menses Melitæ hiemasset, per Syracusas, Rhegium & Puteolos, Romam venit, mense Februario, Neronis VII.

Cum Romam venerunt, reliqui in vinculis a Centurione traditi sunt τῷ ἑραστοῦ πρεδάρχη, Præfeco prætorio, qui tunc vnus erat, scilicet Burrhus. Anno enim sequenti Burrhus mortuus est, & duo facti sunt Præfeci prætorio. Vinciti quidem ex provinciis ad Præfectos prætorii mitti solebant. Traian. ad Plinium Ep. 65. Paulo autem permissum manere sibi met cum custodiente se milite. Act. XXIX, 16.

Sicariis Iudæam, ac præcipue Hierosolyma infestant.

festiuitibus, *impostor* quidam flutem promisit omnibus, qui ipsum sequi vellent in desertum. Festus autem militaribus copiis eos omnes oppressit. Ioseph. XX. 7.

Interim *Agrippa* aedificat domum v. lde amplam in regia prope porticum, vnde perspexit, quae circa Templum facta sunt.

Ob hoc primores Hierosolymitani crexerunt altum parietem, qui non tantum regii triclinii, sed etiam occidentalis porticus, (vbi Romani festis diebus stationes habebant) prospectum arcebat. Hoc agre ferebat *Agrippa*, & praecipue *Festus*, qui imperauit Iudaeis, vt parietem diruerent.

Iudaei autem a *Festo* impetrabant, vt legati de ea re ad *Neronem* mitteantur.

Hoc anno ineunte legati X. primores cum Pontifice *Ismaele* & *Chelcia* ararii custode, ad Imperatorem mittuntur. LXII. 8.

Interim *Nero* anno VIII. imperii sui exturbat *Octauiam* & *Poppaeam* vxorem ducit, *Tacit.* XIV. 60. duodesimo die post diuortium *Octauiae*. *Suet.* cap. 35.

Legati Iudaeorum Romam veniunt, iisque *Nero* permisit, vt paries staret, *Poppaeae* iam vxori suae gratificatus. Ioseph. XX. 7.

Poppaeae X. primores redire permisit; *Ismaelem* autem & *Chelciam* obsides detinuit.

Quod quam primum intellexit *Agrippa*, loco *Ismaelis Iosephum Cabi* constituit Pontificem. Ioseph. ibid.

Festus moritur in prouincia, mense Aprili. *Agrippa* loco *Iosephi Ananum* Pontificem creat.

Festo successor datus est *Albinus* a *Nerone*.

Interim *Ananus* concilium Iudicium constituit, & *Iacobum* fratrem *Iesu Christi* aliosque, quasi impietatis reos, lapidandos tradit.

Agrippa Anani loco substituit *Iesum Damnai.*
Tunc Albinus venit Hierosolyma sub initio Augusti, post tres menses a morte Festi (quibus Ananus sacerdotio functus est) & statim omnem curam adhibuit, ut pacaret prouinciam, interfecit multis ficariis Ios. XX. 8.

Adfuit ille Albinus Festo Scenopegiae, quo scribam Eleazari viuum ceperunt ficarii.

Ad idem Festum venit *Iesus* quidam filius Anani, quadriennio ante bellum, & clamauit —
Ve, ve Ierusalem!

Hoc tempore S. Pauli vincula celebrata facta sunt in toto praetorio, Philipp. I, 13. & nonnulli ex familia Caesaris Christiani facti sunt.

9.

Iesus Anani ductus ad Albinum plagis usque ad ossa laceratur, & ad singulos ictus idem vociferabatur: idque per annos VII. & menses V. faciebat, donec in ipsa obsidione lapis tormento emittus eum peremit.

Paulus cum iam facile perspiceret, se esse propediem vinculis liberandum, scripsit quatuor epistolas,
ad Philippenses,

Ephesios,

Colossenses, &

Philemonem: in quibus ad eos se venturum scribit, & ut hospitium sibi paretur, petit.

LXIII. Cumque iam per biennium in domo conducta verbum Dei libere praedicasset, Roma exiit, & in *Italiam* proprie dictam

dictam secessit, vbi expectans *Timotheum* scripsit Epistolam ad *Hebraeos*.

Adueniente *Timotheo* ex Italia profectus est in *Hispaniam*, quo iturum se dixerat in Epistola ad Romanos.

Et certe eam regionem vidit, quam *Clemens Romanus* eius itinera commemorans, adpellat τὸ τίμα τῆς δόσεως. *Chrysof.* Orat. VII. in S. Paulum Tom. 8. p. 59. καὶ εἰς ἐνταῦθα ἵσταται, ἀλλὰ καὶ ἐκεῖθεν εἰς Ἰσπανίαν ἕδραμε. *Theodoret.* in Philip. 1. 25. Καὶ ἡ τῶν πράξεων δὲ ἡμᾶς εἰδάξεν ἱστορία, οἷς δύο ἐστὶ τὸ πρῶτον ἐν τῇ Ῥώμῃ διήγαγε κατ' εἰαντὸν ἐν ἰδίῳ μισθώματι· ἐκεῖθεν δὲ εἰς τὰς Σπανίας ἀπελθὼν, καὶ τὸ κακείνοις προσενεγκὼν Ἐυαγγέλιον ἑπανάλθε, καὶ τότε τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη.

Albinus Procurator omni rapinæ genere Prouinciam vexat. *Ioseph.* de bell. Iud. l. 2. cap. 13.

Paulus nauigat in *Cretam*.

Paulus, postquam in *Creta* verbum Dei aliquamdiu prædicasset, & ecclesias constituisset, *Titum* Episcopum eius loci ordinauit, eumque ibi reliquit, ut quæ ipse non fecerat, ille superdisponeret, & ordinaret constitueretque per ciuitates *Presbyteros*, secundum Apostoli διατάξεις. Tit. I, 5.

Paulus e *Creta* cum *Timotheo* in *Iudæam* nauigat, Hebr. XIII, 23.

Hoc anno Romæ execrabilis illa persecutio Christianorum orta est.

Nero Albino *Florum* successorem dat.

Ioseph.

LXIV. *Iosephus* post annum aetatis XXVI. Romam navigat, vt Sacerdotes quosdam sibi familiares, quos Felix vinctos Romam miserat, liberaret. Romam autem illos miserat Felix ineunte anno LX. cum iam annum ageret *Iosephus* XXIII. & inter eum & hos sacerdotes familiaritas intercesserat per ferme quadriennium: vnde duratio Felicis in officio Procuratoris optime confirmatur. Nam si sub initio imperii Neronis, vt volunt, hi sacerdotes a Felice miseri fuissent, familiares *Iosephi* dici non poterant. Tunc enim ipse vix expleuerat annum aetatis XVIII. & tunc in deserto vixit cum *Bano* quodam, quocum ibi versatus est ab anno aetatis suae XVI. per triennium.

Paulus e Iudæa in Asiam venit: vbi *Timotheus* Ephesum venit. Ipse autem Colossenses visit, quos ante nunquam viderat, & apud quos permanere statuerat, vt patet ex *Ep. ad Philemonem*, cum Apphia dilecta & Archippo commilitone suo, peculiariter scripta; qua illum sic alloquitur, *Para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis.* v. 22.

11.

Florus venit in Prouinciam, cuius Praefecturae anno secundo bellum capit.

Paulus iam profecturus in Macedoniam iubet *Timotheum* permanere *Ephesi*, si, i Tim. I, 3. Nam cum antea tertantummodo profectus est in Macedoniam, in nulla ex tribus profectionibus illis iussit *Timotheum* Ephesi permanere. Non prima: tunc enim *Timotheum*

um

um secum adsumsit: non secunda, nam ante eam profectioem Timotheum præmiserat in Macedoniam; non tertia, tunc enim habuit eum in itinere comitem.

Mox, priusquam Asiam relinquit, excommunicat *Hymeneum & Philetum.*

Iosephus opera Poppæe sacerdotes vinculis liberat.

Paulus profectus in Macedoniam a- LXV.
pud Philippenses moratur, Phil. I, 25. 26.
& II, 24.

Iosephus a Poppæa multis muneribus donatus redit in Iudæam, ubi videt omnia sub Floro ad bellum tendentia.

Paulus scribit *primam ad Timotheum Epistolam.*

Paulus scribit *Epistolam ad Titum*, cum secum haberet Arteman & Tychicum. Chrysostomus in Proœmio: *Δουξοσι δὲ μοι χρόνοι εἶναι μέσοι τινές, καὶ ἐν ἀδείᾳ Παῦλος ὡς γράφει ταῦτα, ἔδδεν γὰρ περὶ πειρασμῶν Φησι.* Quam *ἀδειαν* Theophylactus etiam agnoscit, indeque colligit, hanc epistolam scriptam esse ante illam ad Timotheum, nempe secundam,

Paulus hyemat *Nicopoli in Epiro*, non in Macedonia, vt subscriptio, aut in Thracia, vt Chrysostomus & Theodoretus, quod recte obseruauit Doronæ-

12.

12. Vulg.

LXV.

us, p. 544. quem tamen reiicit Henr. Savilius minus recte assentiens Chrysofostomo & Theodoretō, *vipote de re sibi comperta, & vrbe vicina loquentibus*. At Chrysofostomus eas Homilias habuit Antiochiæ, quæ longe a Thracia disita est; non Constantinopoli, vt recte obseruauit Halesius.

Paulus Nicopoli petit Corinthum.

LXVI.

Et cum Corintho decesit, ibi reliquit *Erastum*, 2. Tim. IV, 20. sic enim ibi monet Timotheum -- *Erastus mansit Corinthi*. Quæ monitio scribi non potuit ad Timotheum in prioribus vinculis: quorsum enim eum tunc mone- ret, Erastum Corinthi mansisse, qui cum ipso Paulo fuit eo tempore, quo Corinthi mansisse, Erastus præsupponitur.

In Iudæa bellum coepit anno Neronis XII. Fleri II. mensē Maio.

Nero proficiscitur in Achaiam.

Exercitus Cestii in Iudæa funditur.

13.

Paulus venit Troadem, vbi reliquit *penulam, libros & membranas apud Carpum*, cuius alibi mentio non fit. Ineptum autem est vel cogitare, Paulum hæc antea Troade reliquisse, cum tot secum haberet comites, & collectas Hierosolyma perferendas, & nauem vbiq̄e conduceret.

Pau-

Paulus venit Miletum, vbi reliquit *Trophimum* ægrotantem, vt monet *Timotheum* 2 *Tim.* IV, 20. quod spectare non potest tempus illud, quo Mileti fuit, antequam Romam missus est: tunc enim *Trophimus* vna cum *Paulo* Hierosolyma venit *Act.* XXI, 29.

Paulus, cum per biennium & amplius Persecutio Romæ antea cessasset, et iam Nero in Græcia esset, Romam petit. Sed Romæ inuenit alterum *Nerone* LXVII.

Et quoniam priora eius vincula in Prætorio celebria erant ante primam persecutionem; ideo, cum reliquis Christianis notior esset, in carcerem coniicitur, & arcta custodia tenetur; non vt antea in domo conducta, omnibus nota: vnde *Onesiphorus* non, nisi postquam sollicitè quæsiisset, inuenit eum. 2. *Tim.* I, 17.

Paulus Romæ e carcere in discrimen vitæ vocatur ab altero Nerone, & apologiam habet siue *defensionem* suam, vel *sui*, quod in prioribus vinculis factum non est; vbi habuit tantum *defensionem* & *confirmationem* *Evangelii*, aduersus Iudæos scilicet.

In qua defensione tantum erat & *Pauli* & suorum periculum, vt omnes sui

LXVII. eum desererent, & nemo illi adesset, 2 Tim. IV, 16. sed ereptus est ex ore le-
onis v. 17. nempe *Helii Cesareani*, cui omnes in vrbe & Italia, Nero Græciam
petens, vt dedititios tradiderat, facta
ei potestate bona proscribendi, in exili-
um mittendi, & plebeios & equites se-
natoresque occidendi, etiam inconsul-
to Nerone --- ἔγω μὲν δὴ τότε τῶν Ῥω-
μαίων ἀρχὴ δύο αὐτοκράτορσιν ἅμα ἐ-
δύλωσε, Νέρωνι καὶ Ἡλίῳ, vt obseruat Dio
lib. LXIII. p. 720.

Tunc illi *Alexander ararius* multa ma-
la ostendit, & vehementer obstuit sermoni-
bus eius. v. 14. 15.

S. Paulus post hanc defensionem scri-
bit secundam ad *Timotheum epistolam*, &
quidem Romæ, c. I, 17. & in vinculis
Cap. I, 8. & II, 9. posterioribus scilicet.

Nam *Timotheus* ipse Paulo Romæ aderat in
prioribus; & cum eo scripserat epistolas, in qui-
bus Apostolus significauit se breui vinculis libera-
tum iri. In hac autem idem significat *Timotheo*,
se iam delibari, & tempus resolutionis sue instare.
Cap. IV, 6. Et liberabit me, inquit, Dominus (non
a vinculis) sed ab omni opere malo, & saluum fa-
ciet in regnum suum caeleste. v. 18.

14.

Helius festinat in Græciam, vt *Neronem* re-
ducat in Italiam, quo VII. die perueniens, Im-
peratorem terruit exposita graui conspiratione in
vrbe facta.

LXVIII. Vnde Nero in ipsa hieme Græcia prouectus, venit
in

in Italiam, mense Ianuario, vt videtur.


Nero manet in Italia, nec dum Romam venit.

Neapoli in Campania motum Galliarum, qui paucis post Calendas Martias diebus cœperat, audivit die ipso, quo matrem occiderat, circiter Martii 21. adeoque lente & secure tulit, vt per 8. continuos dies non rescriberet cuiquam, non mandaret quid aut præciperet: Urgentibus dein aliis super alios nunciis, Romam prætrepidus rediit, sub initio Aprilis, credensque expeditionem necessariam, Coss. ante tempus priuavit honore, atque in Viriusque locum, solus iniit Consulatum. Sueton. cap. 43.

S. Paulus (cum Petro) vltimo Neronis anno martyrium facit. Factum autem id est sub Præfectis in vrbe, vt testatur *Clemens Romanus*, absente scilicet Nerone, *Februarii die XXII.*

De mense & die testis est *Sylvius* in Calendario, *VIII. Kalendas Martias: Depositio S. Petri & Pauli.*

Nero seipsum occidit Iunii IX.



D. Johann Baptist ...

THEOLOGIA

EVANGELICA


... (faint, illegible text) ...



Je 2687

§
Pi

n. 5.



V. CL.
IOANNIS PEARSONII,
DVM VIVERET S. T. P.
ET CESTRIENSIS EPISCOPI,
**ANNALES
PAVLINI,**

QVIBVS ET ACTA APOSTOLO-
RVM, ET PAULI EPISTOLAE, ALIAQVE
SCRIPTVRAB LOCA, EX TEMPORVM
RATIONE ILLVSTRANTVR.

IN GRATIAM STUDIOSAE IVENTVTIS
SEORSIM RECYSI.

HALAE MAGDEBVRG.
Typis CHRISTOPH. ANDRAE ZEITLERI, Acad. typ.
c1o 16cc XIII.